

liquor oleosus, medullae ossium similis, continetur, habet, permeat mediam partem nervus ex maxilla intrans, expansus in tenui cellulosa membrana, quae interiora inuestit. Lamina exterior superinducta est interiori multo durior, laeuis, polita, periosteo destituta, ita vt laminae vitreae similis sit, vnde et vitrea vel eburnea dicitur. Infixi sunt loculis instar clauorum, qui in vtraque maxilla distincti reperiuntur, a similitudine alueolorum nomen sortiti, ibique membrana vasculosa neruea a membrana interiori producta et gingiuvis superstrata firmantur. Diu multumque superioribus iam temporibus de modo eruptionis dentium, primariorum non minus quam secundariorum, inter viros huius rei studiosos disputatum est. Ac primarios quidem quod attinet, nemo facile reperitur, qui dubitandum existimet, eos propter conicam formam aucta nutritione sensim paullatimque molles partes, quales gingivae sunt, perforare. Sed quum iidem, interiecto quorundam annorum spatio mutari atque decidere soleant; attenti naturae scrutatores operae pretium se facturos putarunt, si in causam et rationem huius rei inquirerent. Ex radice dentis in infante nouum dentem fieri, vti quidem CELSVS<sup>b)</sup> olim existimauit, nemo est, nostra aetate tam parum in studio anatomico versatus, qui affirmet: sed sub primariis dentes secundarios maxilla vtraque inclusos latere, et quasi ex seminariis gigni, in medicorum recentiorum et scriptis et scholis traditur. Haec sententia, auctore VESALIO in medium prolata, tanto plures asseclas defensoresque ad hoc vsque tempus naeta est, quanto probabilioribus argumentis et obseruationibus inniti videretur. Qua quidem

b) *Libro VIII, cap. I.*